PETRUS PICTAVIENSIS. PETRUS COMESTOR

Frankreich, 13. Jh. Seite 62r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=901
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

lustrationis: quam dominus decima die septimi men
sis fieri precepit. Et videtur velle: nec primo lo
cum combustione a moyse factam. unde etiam
subdidit. hoc est venturos servare preceptum.
Et potuit esse: quod impediti usque huc distule
rit. quia nec pascha interim celebrasse legun
tur. Cum autem intraverint terram promissam: sed
precepta domini legitima sua prosecuti sunt. Extra hic
dicit iosephus: ante quam redirent in cades:
eos venisse ad terminos ydumee. et misisse
nuntios ad edon pro libertate transitus per terram
suam. quod cum prohibuisset: moyses recessit
per desertum iter faciens. hystoria numeri
dicit: post mortem marie misisse ad edon. nec
est liquidum: utrum iosephus per anticipati
onem. an liber numeri per recapitulationem.
hoc dixerit. Nos vero sequentes ordinem
hystorie: dicimus: quia mortua maria
indiguit populus aqua. factaque seditione in
populo contra moysen et aaron: oraverunt ambo
ad dominum. quibus dominus ait. tolle virgam. congrega
populum ad petram. et percussa dabit vobis aquam.
Utrum virga que fronduerat: an alia usus est
moyses: hic est dubium. Et congregata multi
tudine ante petram: dixit moyses. audite
rebelles et increduli. num quid de petra hac pote
rimus vobis aquam elicere. hoc autem cum in a
liis fiducialiter egissent moyses et aaron:
turbati murmurante populo: diffidenter egerunt.
quod domino manifestante cognitum est. non enim
ex ope eorum aliquid tribuo: hoc perpendi potuisset.
non forte: quia moyses quasi dubitans dixit: num
quid poterimus et cetera. Quia in sensus affirma
tionis potest elici: quasi poterimus. vel negatio
nis: quasi non poterimus. Cum ergo bis percussisset virga
silicem: quia desperabat: non manaverunt aque:
secundo vero ictu: egresse sunt ita largissime: ut biberet
populus et iumenta. Et dixit dominus moysi et aaron.
quia non credidistis mihi: non introducetis
populos hos in terram eorum. hec est aqua contradic
tionis. quia etiam electi: desperaverunt de promissis
et potentia dei. quasi contradicentes promittenti.

Misit moyses nuntios *De exitu ydumee.*
de cades: ad regem edon. dicentes. frater
tuus iacob mandat tibi hec. obsecro: ut liceat
nobis transire per terram tuam. non ibimus per loca cul

ta. via publica gradiemur. non declinabimus ad dex
teram neque ad sinistram. Si biberimus aquas tuas:
quod iustum erit dabimus. Et respondit non tran
sibitis per me. Tamen timens ne transirent: egressus
est obviam in manu forti. Quam ob rem: divertit
ab eo israel. maxime: quia deus preceperat ei: non pug
nabis adversus fratrem tuum. Circuivitque ydu
meam egrediens de cades. incedensque per desertum
arabie: et preter transiens archim metropolim
arabum: que nunc petra dicitur: venit ad montem
hor. qui est in finibus terre edon. *De morte aaron.*

Ubi locutus est dominus ad moysen. pergat inquit aa
ron ad populum suum. non intrabit terram pro
missionis: eo quod incredulus fuit ori meo.
Tolle aaron et filium eius cum eo. et duces eos
coram omni populo super montem hor. Cum nuda
veris patrem stola pontificali: indues ea
eleazarum. Cui pontificatus per etatem accessit.
Et fecit moyses quod preceperat ei dominus. Et mortuus
est aaron in monte hor. In deuteronomio:
dicitur muscera locus sepulture aaron. qui usque
hodie monstratur in montis vertice. Populus vero
flevit eum: xxx. diebus. Mortuus est autem qua
dragesimo anno egressionis. cum esset. c. xxiii.
annorum. eodem anno quo et maria. mense
quinto. qui apud hebreos dicitur sedebath. apud
romanos augustus. prima die mensis secundum
lunam. *De victoria post votum anathe*
matis.

Cumque audisset chananeus qui
habitabat ad meridiem: venisse illuc
israel: pugnavit cum eo. et obtinuit. et duxit
ex eo predam. Israel autem vovit domino: quod si tradet
eum dominus in manus suas: civitates eius ana
thematizaret. quod fecit. et vocavit nomen
loci illius: horma. id est anathema. Forte: hic
est locus qui supra per anticipationem vocatus est
horma. Anathema dicitur: ab anathime. id est
sursum ponere. quod est devotare. id est voto deo
sum ab usu nostro separare. cum scilicet res vota et
reddita: sursum in templis ponebantur. Et no
ta: quia olim generaliter populus terre promissionis
dictus est chananeus. unde et hic: nomine generali vo
cat eos qui erant ad meridiem. Cum enim. vii.
populi propriis vocabantur nominibus in ea. et ille proprie
dicebatur chananeus: qui habitabat ma
ritimam. *De serpente eneo contra igneos*
serpentes.

Tamen quia in numeris legitur: virga que erat
in conspectu domini: videtur fuisse virga
que erat in archa.